

**www.e-rara.ch**

## **Caii Svetonii Tranquilli Opera Quæ Exstant**

**Suetonius Tranquillus, Gaius**

**Basileæ, M DC LXXV**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25541>

[Domitianus]

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



DOMITIANUS natus est

IX. Kalend. Novembris, patre Co s. designato, inituróque mense insequenti honorem, regione Urbis sextâ, ad Malum Punicum, domo, quam postea in

templum gentis Flaviæ convertit. Pubertatis ac primæ adolescentiæ tempora tantâ inopiâ tantâque infamiâ egisse fertur, ut nullum vas argenteum in usu haberet. Satisque constat Clodium Pollionem prætorium virum, in quem est poëma Neronis, quod inscribitur *Luscio*, chirographum ejus conservasse, & nonnunquam protulisse, noctem sibi pollicentis: nec defuerunt, qui affirmarent corruptum Domitianum à Nerva successore

mox suo. Bello Vitelliano confugit in Capitolium cum patiuo Sabino, ac parte præsentium copiarum: sed irrumpentibus adversariis, & ardente templo, apud ædituum clam pernoctavit: ac manè \* Isiaci celatus habitu, inter Sacrificulos vanæ superstitionis, cum se trans-Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno contulisset, ita latuit, ut scrutantibus qui vestigia subsequuti erant, deprehendi non potuerit. Post victoriam demùm progressus, & Cæsar consalutatus, honorem præturæ urbanæ cum consulari potestate suscepit titulo tenis: quam jurisdictionem ad collegam proximum transtulit. Cæterùm omnem vim dominationis tam licenter exercuit, ut jam tum, qualis futurus esset, ostenderet. Ne exsequar singula, contrectatis multorum

*Isiaci celatus habitu.* Hinc Domitiani erga Isidem religio, quam superstitionem veriùs dixeris, ex hoc raro nummo manifesta, quem nuper Cl. Obrechtus perdoctè explicuit. Sacrigerulus Isiacus, inquit, veste propè muliebri, galero calvitium tegente, quod proprium erat Sacerdotum gestamen, navi insidet, cujus usum prima Isis invenit. Perseæ fructum tenet Dææ Isidi consecratum, ut docet Plutarchus, *de Isid. & Osir.* quòd revocari etiam debet corona ex Perseæ. Crucem gestat Vitæ venturæ apud Ægyptios symbolum, ex Ruffino, *hist. Eccles. lib. 29.* Ad cujus illustrationem

mirè faciunt hæc verba ex Suida, voce *σαυρός.* Εἰπὶ Θεοδοσίῳ τῷ μεγάλῳ βασιλέωσ καθαιρουμένων τῶν Ἑλλήνων ἱερῶν ἀγρέθησαν ἐν τῷ τῷ Σεραπίδῳ νέῳ ἱερογλυφικῶν χροάματα, σαυρὸν ἔχοντα τύπῳ, ἀπὸρ θεασάμενοι οἱ ἐξ Ἑλλήνων χριστιανῶντες ἔφασαν σημαίνει τὸν ΣΤΑΥΡΟΝ παρὰ τοῖς ἱερογλυφικῶν ζωώσεσσι χροάματα ΖΩΗΝ ΕΠΕΡΧΟΜΕΝΗΝ. Hoc est: *Theodosio magno imperante, cum fana Gentilium diruerentur, inventa sunt in Serapidis templo hieroglyphica littera habentes CRVCIS formam: quas videntes Græci qui Christo addicti jam erant CRUCEM apud peritos hieroglyphicarum notarum ajebant significare VITAM VENTURAM.*



uxoribus,

uxoribus, Domitiam Longinam Ælio Lamiaë nuptam etiam in matrimonium abduxit: atque uno die super XX. urbana officia aut peregrina distribuit: mirari se Vespasiano dictitante, quòd successorem non & sibi mitteret.

2. \* Expeditionem quoq; in Galliam, Germaniasq;, neque necessariam, & dissuadentibus paternis amicis inchoavit: tantum ut fratri se & operibus, & dignatione,

*Expeditionem in Galliam Germaniasque.* Assentiunt nummi innumeri ex omni metallo, è quibus tres ex aere magno hic apponendos selegimus. De Dacis Cattusq;, duplicem triumphum egit, inquit Eutropius, lib.7. post Sueton. cap.6. De Sarmatis solam lauream usurpavit. Scribit etiam Autor noster, cap.13. Post duos triumphos

GERMANICI nomen assumpsisse, quod quidem in nummis legitur: Deinde quòd gloriam adaugeret, Germanici nomine assumpto Septembrem mensem GERMANICVM transnominavit. Quo sensu singulos menses suis cognominibus nuncupare frustra tentasse Commodum Imperat. scribit Capitolinus,



Ggg

adæquaret. Ob hæc correptus, quò magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre unà fellámque ejus ac fratris, quoties prodirent, lecticâ sequebatur: ac triumphum utriusque Judaicum, equo albo comitatus est. In sex consûlatibus, non nisi unum ordinarium gessit: eùmque cedente & suffragante fratre. Simulavit & ipse mirè modestiam: inprimisque poëticæ studium, tam insuetum antea sibi, quàm postea spretum & abjectum: recitavitque etiam publicè. Nec tamen eò feciùs, cum Vologesus Parthorum rex auxilia adversus Alanos, ducémque alterum ex Vespasiani liberis depoposcisset, omni ope contendit, ut ipse potissimùm mitteretur. Et quia discussa res est, alios Orientis Reges ut idem postularent, donis ac pollicitationibus sollicitare tentavit. Patri defuncto, diu cunctatus, an duplum donativum militi donaret, numquam jactare dubitavit, *relictum se participem Imperii, sed fraudem testamento adhibitam.* Neque cessavit ex eo insidias struere fratri clàm, palàmque: quoad correptum gravi valetudine priùs quam planè efflaret animam, pro mortuo deserui jussit: defunctumque nullo præterquam consecrationis honore dignatus, sæpè etiam carpsit obliquis orationibus & edictis.

3. Inter initia principatus, quotidie secretum sibi horarium sumere solebat: nec quidquam ampliùs, quàm muscas captare, ac stilo præacuto configere, ut cuidam interroganti, *essetne quis intus cum Cesare,* non absurde responsum sit à Vibio Crispo, *Ne musca quidem.* Deinde

\* uxorem suam Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut AVGVSTAM, eandem Paridis histrionis amore deperditam, repudiavit: intraque breve tempus impatiens dissidii, quasi efflagitante populo, reduxit. Circa administrationem autem Imperii aliquamdiu se varium præstitit: misturâ quoq; æquabili vitiorum atq; virtutum, donec virtutes quoque in vitia deflexit: quantum conjectare licet, super ingenii naturam, inopiâ rapax, metu sævus.

4. Spectacula magnifica assiduè, & sumptuosa edidit, non in Amphitheatro modò, verùm & in Circo: ubi præter solennes bigarum quadrigarumque cursus, prælium duplex etiam equestre ac pedestre commisit: atque in Amphitheatro navale quoque. Nam venationes

*Uxorem suam Domitiam. Ea cernitur in nummis omnis metalli. Græcos aliquot vulgavimus inter æreos nostros, pag. 169. atque perrarum unum, in Thesauro, pag. 153. Argenteos quinque hic inspicias eximie raritatis. Conspiravit hæc in maritam cum amicis libertisque intimis, ut docet Autor noster, cap. 14.*



gladiatorésque, & noctibus ad lychnuchos: nec virorum modò pugnas, sed & fœminarum. Præterea quæstoriiis muneribus, quæ olim omiffa revocaverat, ita semper interfuit, ut populo potestatem faceret, bina paria è suo ludo postulandi, quæ noviffima aulico apparatu induceret. Ac per omne gladiatorum spectaculum ante pedes ei stabat puerulus coccinatus, portentoso parvòque capite, cum quo plurimùm fabulabatur, nonnumquam seriò. Auditus est certè, dum ex eo quærit, *ecquid sciret cur sibi visum esset, ordinatione proximâ Ægypto præficere Metium Rufum.* Edidit navales pugnas penè justarum classium, effosso & circumstructo juxta Tiberim lacu: atque inter maximos imbres prospectavit. \* Fecit & ludos sæculares: computatâ ratione temporum ab anno, non quo Claudius proximè, sed quo olim Augustus

*Fecit & ludos sæculares.* Abundè scripsimus de istis ludis, cum nummos æreos interpretati sumus, pag. 158. Exstant & plures alii ex omni metallo, diversisque typis. Duos hic primùm habes ex ære magno, quorum prior SVF fimenta Populo Data, alter FRVGum Acceptio-

nem designat. Et quò ludorum sæcularium varii typi pateferent, duos alios adjunximus tum à Domitiano, tum à Philippo Imperatoribus cufos, de quibus mentionem fecimus supra in notis, pag. 91. Ubi notatus mos columnis eos inscribendi.



édiderat. In his Circensium die, quò faciliùs centum missus peragerentur, singulos à septenis spatiis ad quina corripuit. Instituit & quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, & aliquantò plurium quàm nunc est, coronatorum. Certabant etiam & prosâ oratione græcè, latinéque: ac præter citharædos chorocitharistæ quoque, & psilocitharistæ. In stadio verò cursu etiam virgines. Certamini præfedit crepidatus, purpureâque amictus togâ græcanicâ, capite gestans coronam auream cum effigie Jovis ac Junonis Minervæq;: assidentibus Diali sacerdote, & collegio Flavialium pari habitu: nisi quòd illorum coronis inerat & ipsius imago. Celebrat & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ, cui collegium instituerat: ex quo sorte ducti magisterio fungerentur: redderentque eximias venationes & scenicos ludos, supérq; oratorum ac poëtarum certaminâ.

\* Congiarium populo nummorum trecentorum ter

*Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit. Secundum vidimus Domitiani congiarium in nummis signatum, sed & primum tertiumque identidem expressum fuisse verisimile est. Congii figuram exposuimus supra pag. 290. Congiarium à Tito datum celebrat hæc inscriptio, Romæ in hortis Palatinis inventa, à Grutero exscripta, pag. 244.*

IMP. T. CÆSARI DIVI F.  
VESPASIANO AVG.  
PLEBS VRBANA  
QVÆ FRUMENTVM  
PVBLICVM ACCEPIT  
ET TRIBVS.

Alium habes Domitiani nummum rarissimum, ejus ludis sæcularibus adjungendum.



dedit atque inter spectacula muneris, largissimum epulum: Septimontiali sacro equidem die, Senatui, Equitique, panariis, plebei, sportellis cum obsonio distributis, initium vescendi primus fecit: diéque proximo omne genus rerum missilia sparsit: & quia pars major intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronuntiavit.

5. Plurima & amplissima opera incendio absumpta restituit: in queis & Capitolium, quod rursus arserat: sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. Novam autem \* excitavit ædem in Capitolio custodi Jovi, & *Forum* quod nunc *Nervæ* vocatur. Item Flaviæ templum gentis, & Stadium, & Odeum, & Naumachiam: è cujus postea lapide maximus Circus, deustis utrimque lateribus, exstructus est.

6. Expeditiones partim spontè suscepit, partim necessariò. Spontè in Cattos; necessariò unam in

*Excitavit ædem in Capitolio Jovi Custodi.* Arbitror eandem quam Vespasianus inchoaverat, nummis indigitatam, hæc inscriptione, JOVIS CVSTOS, sicut hæc sculptura demonstrat, in qua JOVIS casu recto. Nummus alter JOVI CONSERVATORI, seu ut scribit Autor noster, CVSTODI, à Domitiano dicatus est. Ille enim bello Vitelliano in Capitolium cum fugisset, irrupentibus adversariis & ardente templo, apud

ædituum clam pernoctans servatus est. Quare patre Vespasiano rerum potito, disjecto aditui contubernio, modicum sacellum JOVI CONSERVATORI aramque posuit: casusque suos in marmore expressit, mox imperium adeptus JOVI CVSTODI, qui idem est, templum ingens, seque in sinu Dei sacravit. Ex quibus Taciti verbis patet eisdem casus in marmore signatos & nummis ænigmaticè expressos fuisse, quos ideo hic apponi curavimus.



Sarmatas, legione cum Legato simul cæsâ. In Dacos duas, primam Oppio Sabino consulari oppresso, secundam Cornelio Fusco præfecto cohortium prætorianarum, cui belli summam commiserat. De Cattis Dacisque post varia prælia, duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modò Capitolino Jovi retulit. Bellum civile motum à L. Antonio superioris Germaniæ Præside confecit absens, felicitate mirâ: cum ipsâ dimicationis horâ resolutus repentè Rhenus, transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset. De qua victoria priùs præfagiis, quàm nunciis comperit. Siquidem ipso quo dimicatum est die, statuatam ejus Romæ insignis aquila circumplexa, pennis clangores lætissimos edidit: paullòq; post occisum Antonium adeò vulgatum est, ut caput quoque ejus apportatum vidisse se pleriq; contenderent.

7. Multa etiam in communi rerum usu novavit. Sportulas publicas sustulit, revocatâ cœnarum rectorum consuetudine. Duas Circensibus gregum factiones aurati purpureique panni ad quatuor pristinas addidit. Interdixit histrionibus scenam, intra domum quidem exercendi artem jure concessio. Castrari mares vetuit. Spadonum, qui residui apud mangones erant, pretia moderatus est. Ob summam quondam ubertatem vini, frumenti verò inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, *Ne quis in Italia novellaret: utque in provinciis vineta succiderentur, relictâ, ut plurimum, dimidiâ parte: nec exsequi rem perseveravit.* Quædam ex maximis officiis inter libertinos militésque Romanos communicavit. Geminari legionum castra

prohibuit: nec plus quàm mille nummos à quòquam ad signa deponi: quod L. Antonius apud duarum regionum hiberna, res novas moliens, fiduciam cepisse etiam ex depositorum summa videbatur. Addidit & quartum stipendium militi, aureos ternos.

8. Jus diligenter & industriè dixit. Plerúmque & in foro pro tribunali extra ordinem ambitiosas Centumvirorum sententias rescidit. Recuperatores, ne se semper persuasoriis assertionibus accommodarent, idemtidem admonuit. Nummarios judices cum suo quémque consilio notavit. Auctor & Tribunis plebis fuit, Ædilem sordidum repetundarum accusandi, judicésque in eum à senatu petendi. Magistratibus quoque urbicis, provinciarúmque Præsilibus coërcendis tantùm curæ adhibuit, ut neque modestiores umquam, neque justiores exstiterint: è quibus plerósque post illum reos omnium criminum vidimus. Susceptâ morum correctione, licentiam theatralem promiscuè in equite spectandi inhibuit. Scripta famosa vulgóque edita, quibus primores viri ac scæminæ notabantur, abolevit non sine auctorum ignominia. Quæstorium virum, quòd gesticulandi saltandique studio teneretur, movit senatu. Probrosis scæminis lecticæ usum ademit: jusque capiendi legata, hereditatésque. Equitem Romanum ob reductam in matrimonium uxorem, cui dimissæ adulterii crimen intenderat, erasit judicum albo. Quosdam ex utroque ordine lege Scantiniâ condemnavit. Incesta Vestalium virginum, à patre quoque suo & fratre neglecta, variè ac severè coërcuit: priora capitali supplicio, posteriora more veteri. Nam

cum Ocellatis fororibus, item Varonillæ liberum mortis permisisset arbitrium, corruptorésque earum relegasset: mox Corneliam virginem maximam, absolutam olim, deinde longo intervallo repetitam atque convictam, defodi imperavit: stupratorésque virgis in comitio ad necem cædi, excepto prætorio viro: cui dubiâ etiamnum causâ, & incertis quæstionibus atque tormentis de semet professo, exsilium indulxit. Ac ne qua religio Deûm impunè contaminaretur, monumentum quòd libertus ejus è lapidibus templo Capitolini Jovis destinatis filio construxerat, diruit per milites: ossaque & reliquias, quæ inerant, mari misit.

9. Inter initia usq; adeò ab omni cæde abhorrebat, ut absente adhuc patre, recordatus Virgilii versum,

*Impia quàm castis gens est epulata juvenis:*

edicere destinaverit, ne boves immolarentur. Cupiditatis quoque atque avaritiæ vix suspicionem ullam, aut privatus umquam, aut princeps aliquandiu dedit: immò è diverso magnæ sæpè non abstinentiæ modò, sed etiam liberalitatis experimenta. Omnes circa se largissimè profecutus, nihil priùs aut acriùs monuit, quàm ne quid fordidè facerent. Relictas sibi hereditates ab iis quibus liberi erant, non recepit. Legatum etiam ex testamento Ruscii Cæpionis: qui caverat *ut quotannis ingredientibus Curiam senatoribus, certam summam viritim præstaret heres suus*, irritum fecit. Reos, qui ante quinquennium proximum apud ærarium pependissent, universos discrimine liberavit: nec repeti, nisi intra annum, eaque

conditione permittit, ut accusatori qui causam non teneret, exsilium poena esset. Scribas quaestorios negotiantes ex consuetudine, sed contra Clodiam legem, veniam in praeteritum donavit. Subseciva, quae divisis per veteranos agros carptim superfuerunt, veteribus possessoribus ut usu capta concessit. Fiscales calumnias, magnam calumniantium poenam repressit: ferebaturque vox ejus, *Princeps qui delatores non castigat, irritat.*

10. Sed neque in clementiae, neque in abstinentiae tenore permansit: & tamen aliquantò celerius ad saevitiam descendit, quam ad cupiditatem. Discipulum Paridis pantomimi puberem adhuc, & cum maxime agrum, quod arte formaque non absimilis magistro videbatur, occidit. Item Hermogenem Tarsensem, propter quasdam in historia figuras, librariis etiam qui eam descripserant, crucifixis. Patrem familias, quod *Thracem mirmilloni parem, munerario imparem*, dixerat, detractum è spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: **IMPIE LOCUTVS PARMVLARIVS.** Complures senatores, in his aliquot Consulares, interemit: ex quibus Civicam Cerealem in ipso Asiae proconsulatu, Salvidienum Orfitum, Acilium Glabrimonem exsilio, quasi molitores novarum rerum. Caeteros levissimam quemque de causa: Aelium Lamiam, ob suspiciosos quidem verum & veteres & innoxios iocos: quod post abductam uxorem laudanti vocem suam, *Heu taceo*, dixerat: quodque Tito hortanti se ad alterum matrimonium responderat,

\* μή καὶ σὺ γαμήσῃς θέλεις; Salvium Coccejanum, quod Othonis

*Et tu uxorem ducere non vis.*

Imperatoris patruī sui diem natalem celebraverat : Metium Pomposianum , quòd habere imperatoriam genesim vulgò ferebatur : & quòd depictum orbem terræ in membranas , concionésque Regum ac Ducum ex Tito Livio circumferret : quòdque servis nomina Magonis & Annibalis indidisset. Sallustium Lucullum Britanniaē legatum , quòd lanceas novæ formæ appellari *Luculleas* passus esset. Junium Rusticum . quòd Pati Thraseæ & Helvidii Prisci laudes edidisset , appellassetque eos *sanctissimos viros* : cujus criminis occasione , philosophos omnes Urbe Italiâque submovit. Occidit & Helvidium filium , quòd quasi scenico exodio sub persona Paridis & Oenones divortium suum cum uxore tractasset. Flavium Sabinum alterum è patruelibus , quòd eum comitorum consularium die destinatum , perperam præco non *Consulem* ad populum , sed *Imperatorem* pronuntiasset. Verum aliquantò post civilis belli victoriam sævior , pleròsque patris adversæ , dudum etiam latentes conscios , investigato novo quæstionis genere distorsit : immisso per obscœna igne. Nonnullis & manus amputavit. Satisque constat duos solos è notioribus veniâ donatos , Tribunum laticlavium , & Centurionem : qui se , quòd faciliùs expertes culpæ ostenderent , impudicos probaverant : & ob id neq; apud ducem , nec apud milites , ullius momenti esse potuisse.

11. Erat autem non solùm magnæ , sed & callidæ inopinataeque sævitia. Auctorem summarum pridie quàm crucifigeret , in cubiculum vocavit : assidere in toro

juxta coëgit, securum hilarémque dimisit, partibus etiam de cœna dignatus est. Aretinum Clementem consularem virum è familiaribus & emissariis suis capitis condemnaturus in eadem vel etiam in majore gratiâ habuit, quoad novissimè simul gestanti, conspecto delatore ejus: *Vis*, inquit, *hunc nequissimum servum cras audiamus?* Et quò contemptiùs abuteretur patientiâ hominum, numquam tristiores sententiam, sine præfatione clementiæ pronuntiavit: ut non aliud jam certius atrocis exitus signum esset, quam principii lenitas. Quosdam majestatis reos in Curiam induxerat: & cum prædixisset *experturum se illa die, quàm charus Senatui esset*, faciliè perfecerat, ut etiam more majorum puniendi condemnarentur: deinde atrocitate pœnæ conterritus, ad leniendam invidiam intercessit, his verbis: neque enim ab re fuerit ipsa cognoscere. *Permittite, Patres Conscripti, à pietate vestrà impetrari, quod scio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum moris arbitrium indulgeatis. Nam & parces oculis vestris, & intelligent me omnes senatus interfuisse.*

12. Exhaustus operum ac munerum impensis, stipendióque quod adjecerat: tentavit quidem, ad relevandos castrenses sumptus, militum numerum diminuere. Sed cum obnoxium se Barbaris per hoc animaverteret; neque eò seciùs in explicandis oneribus omnibus hæreret: nihil pensi habuit, quin prædaretur, omni modo bona vivorum & mortuorum usquequâque, quolibet & accusatore & crimine corripiebantur. Satis

erat obijci qualecumque factum dictumque adversum  
majestatem Principis. Confiscabantur alienissimæ  
hereditates: vel existente uno, qui diceret, *audisse se ex  
defuncto, cum viveret, heredem sibi Casarem esse.*  
Præter cæteros, \* Judaicus fiscus acerbissimè actus est:  
ad quem deferebantur, qui velut professi, Judaicam

*Judaicus fiscus.* Ex eo constitutus in-  
telligebatur, ut *Judæi qui patrios ritus ser-  
vare vellent, didrachmum quotannis Jovi  
Capitolino inferrent:* Hæc sunt Xiphilini  
verba, in *Vespas. An' incivis didrachmon etáχθu  
tiss ta pátria autân êbu wicigédovtas tñ  
Kαπιτωλήν δι' nãf êt' άποφίγειν.* Abolitus  
deinde fuit ab Imp. Nerva, de quo sic  
Victor: *Quidquid pœne nomine tributis  
accesserat, Domitiani temporibus, Nerva  
sustulit:* Accuratè id explicat Baronius  
Card. *Annal. fol. 745.* Hinc cusi duo

nummi, alter expressè *FISCI JUDAICI  
CALVMNIAM SVBLATAM* esse signifi-  
cat, alter tributorum remissionem quæ  
ad vehiculationem spectabant. Ad opti-  
mi Principis Nervæ gloriam, tres alios  
subjunxi eximie raritatis quibus  
*ROMAM RENASCENTEM* benignitate  
suâ polliceri videtur *TVTELA ITALIAE*  
in se receptâ & *EXVLIBVS ROMAM  
REDVCTIS*, ob quod quercea corona  
ipsi delata est, eodem sensu quo priori-  
bus Imp. *OB CIVES SERVATOS.*



intra Urbem viverent vitam vel dissimulatâ origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, cum à procuratore frequentissimoque consilio inspiceretur nonagenarius fenex, an circumsectus esset. Ab iuventa minimè civilis animi, confidens etiam, & cum verbis, tum rebus immodicus. Cænidî patris concubinæ ex Istria reversæ, osculumque, ut assueverat, offerenti, manum præbuit. Generum fratris indignè ferens, albatos & ipsum ministros habere, proclamavit: \* *οὐκ ἀγαθὸν πολυκιστρηνή.*

13. Principatum verò adeptus, neque in Senatu jactare dubitavit *Ἐ patri se, Ἐ fratri Imperium dedisse: illos sibi reddidisse.* Neque in reducenda post divortium uxore, edicere, *revocatam eam in pulvinar suum:* acclamari etiam in Amphitheatro epulari die libenter audivit: *Domino Ἐ Domina feliciter.* Sed & Capitolino certamine cunctos ingenti consensu precantes, ut Palfurium Suram restitueret, pulsum olim senatu, ac tunc de oratoribus coronatum, nullo responso dignatus, *Tacere tantummodo* jussit, voce præconis. Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic cœpit: *Dominus Ἐ Deus noster sic fieri jubet.* Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter: Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni

*Non bonum est multorum imperium.*

permisit, ac ponderis certi. Janos \* arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum per regiones Urbis, tantos ac tot exstruxit, ut cuidam græcè inscriptum sit arci, ΑΡΚΕΙ. Consulatus XVII. cepit, quod ante eum nemo. Ex quibus septem medios continuavit: omnes autem penè titulo tenus gessit: nec quemquam ultra Kalendas Maji: plures ad Idus usque Januarias. Post autem duos triumpho,

*Arcusque cum quadrigis & insignibus triumphorum. Ejus argumenti nummos octo varios exposuimus ex ære mediocri: alios addam ex ære magno & medio, & ex argento: quibus triumphos istos arcusq; quos fornices sæpiùs appellabant, à Græcis etiam fuisse*

*sculptos patet. In eo etenim consentiebant, ut vesano Imperatori etiam de non victa gente triumphorum insignia erigerent, Martial. l. 8. Ep. 65.*

*Stat sacer & domitis gentibus, Arcus evans.  
Hic gemini curvus numerant elephantia frequentem.  
Sufficit immensis aureus ipse iugu.*



\* Germanici cognomine assumpto, Septembrem mensē & Octobr. ex appellationibus suis Germanicum Domitianūque transnominavit: quòd altero suscepi Imperium, altero natus esset.

14. Per hæc terribilis cunctis & invisus, tandem oppressus est amicorum libertorūque intimorum conspiratione, simul & uxoris. Annum diēmq; ultimum vitæ jam pridem suspectum habebat, horam etiam, nec non & genus mortis. Adolescentulo Chaldæi cuncta prædixerant. Pater quoque super cœnam quondam fungis abstinentem palàm irriserat, ut ignarum sortis suæ, quòd non ferrum potius timeret. Quare pavidus semper atque anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum commovebatur: ut edicti de excidendis vineis propositi, gratiam facere non aliã magis re compulsus credatur, quàm quòd sparsi libelli cum his versibus erant.

\* κλειὸν μὲ Φάγης ἴππὶ πίζαν, ὅπως ἐπὶ καρποφότησιν,  
ὄσσον ἴππὶ ἀσπίσιν καλοῦσι θυμὸν αἰών.

Eadem formidine oblatum à Senatu novum & inexcogitatum honorem, quamquam omnium talium appetentissimus, recusavit: quo decretum erat, *ut quoties gereret consulatum, equites Romani quibus fors obtigisset, trabeati, & cum hastis militaribus, præcederent eum, inter lictores apparitoresque.* Tempore quoque suspecti

*Vel si me usque ad radicem comederis, tamen adhuc fructum proferam. Quantum supersundatur Casari immolato.*

Germanici cognomine assumpto. Vefanaim id demonstrat Imp. Domitiani, superbum apud Romanos titulum

ambientis, quasi bellicosam gentem vicisset: Germaniæ ab ipso devictæ nummos priori pagina exposuimus, quibus ut & aliis plurimis GERMANICI cognomen manifestè inscriptum est.

perculi

periculi appropinquante, sollicitior in dies, porticum in quibus spatium consueverat, parietes phengite lapide distinxit: è cuius splendore per imagines quidquid à tergo fieret, provideret. Nec nisi secreto atque solus plerasque custodias, receptis quidem in manu catenis, audiebat. Utque domesticis persuaderet, ne bono quidem exemplo, audendam esse patroni necem. Epaphroditum à libellis, capitali pœnâ condemnavit: quòd post destitutionem, Nero in adipiscenda morte, manu ejus adjutus existimabatur.

15. Denique Flavium Clementem patrualem suum contemptissimæ inertiae, cuius filios etiamnum parvulos successores palàm destinaverat: & abolito priore nomine, alterum *Vespasianum* appellari iusserat, alterum *Domitianum*: repente ex tenuissimâ suspitione tantùm non ipso ejus consulatu interemit. Quo maximè factò maturavit sibi exitium. Continuis octo mensibus tot fulgura facta nuntiataque sunt: ut exclamaverit, *Feriat iam quem volet*. Tactum de cœlo Capitolium, templumq; Flaviae gentis: item domus Palatina & cubiculum ipsius: atque etiam è basi statuae triumphalis titulus excussus vi procellae in monumentum proximum decidit. Arbor quae privato adhuc Vespasiano everfa surrexerat, tunc rursus repente corruit. \* Prænestina Fortuna, toto Imperii spatio annum novum commendanti, lætam eandemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit:

*Prænestina Fortuna.* Hujus Deae delabrum lithostrato parvulis satis crustis Syllam stravisse novo tum temporis invento, Autor est Plinius, lib. 36. cap. 25.

Cujus generis mirandum opus Venetiis ad D. Marci, omnem Romanorum industriam superare videtur mosaicum vocant.

nec sine fanguinis mentione. \* Minervam, quam superstitiosè colebat, somniavit excedere sacratio: negantem ultra se tueri eum posse, quòd exarmata esset à Jove. Nulla tamen re perindè commotus est, quàm responso, casuque Ascletarionis mathematici. Hunc delatum, nec inficiantem jactasse se, quæ providisset ex arte, sciscitatus est, *quis ipsum maneret exitus?* & affirmantem fore, *ut brevi laceraretur à canibus*, interfici quidem sine mora, sed ad coarguendam temeritatem artis, sepeliri quoque accuratissimè imperavit. Quod cùm fieret, evenit, ut repentinâ tempestate dejecto funere femiustum cadaver discerperent canes: idque ei cœnanti à mimo latino, qui præteriens fortè animadverterat, inter cæteras diei fabulas referretur.

16. Pridie quàm periret, cùm oblatos tuberos servari jussisset in crastinum: adjecit, *Si modò uti licuerit*. Et conversus ad proximos, *affirmavit fore, ut sequenti die, Luna se in Aquario cruentaret: factumq; aliquod existeret, de quo loquerentur homines per terrarum orbem*. At

*Minervam quàm superstitiosè colebat. Observavimus pleròsque Imp. Romanos, etsi valde impios, peculiare aliquod numen supra cætera coluisse, quod nummis suis impresserunt: Augustus Apollinem, Antoninus Æsculapium & Hygyiam; Commodus Herculem; Severus Deos patrios, Herculem & Bacchum;*

*Heliogabalus Solem; & Domitianus Minervam, cui in Albano quotannis Quinquatria celebrabat, collegiumque instituerat, & scribit Auctor noster, cap. 4. Ejusque filius dici & credi voluerat; de quo Quintilianus, Philostratus, Juvenalis, Satyr. 2. & alii. Hinc toties Minerva signata est in Domitiani nummis.*



circa mediam noctem ita est exterritus, ut ex strato profiliret. Dehinc manè haruspicem ex Germania missum, qui consultus de fulgure, mutationem rerum prædixerat, audiit condemnavitque. Ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementius scalpit, profluente sanguine, *Utinam*, inquit, *hactenus*. Tunc horas requirenti, pro quinta quam metuebat, sexta ex industria nuntiata est. His, velut transacto jam periculo, lætum festinantemque ad corporis curam, Parthenius cubiculo præpositus convertit: nuntians esse, qui magnum nescio quid afferet, nec differendum. Itaque summotis omnibus in cubiculum se recepit, atque ibi occisus est.

17. De insidiarum cædisque genere, hæc ferè divulgata sunt. Cunctantibus conspiratis, quando & quomodo, id est, lavantemne, an cœnantem aggredierentur: Stephanus Domitillæ procurator, & tunc interceptarum pecuniarum reus, consilium operamque obtulit. Ac sinisteriore brachio velut ægro, lanis fasciisque per aliquot dies ad avertendam suspicionem obvoluto, ad ipsam horam, dolum interjecit: professusque conspirationis indicium: & ob hoc admissus, legenti traditum à se libellum & attonito, suffodit inguina. Saucium ac repugnantem adorti Clodianus cornicularius & Maximus Parthenii libertus, & Saturius decurio cubiculariorum, & quidam è gladiatorio ludo, vulneribus septem contrucidaverunt. Puer, qui curæ Larium cubiculi ex consuetudine assistens, interfuit cædi, hoc amplius narrabat, se jussum à Domitiano ad primum statim vulnus pugionem pulvino subditum porrigere,

ac ministros vocare : neque ad caput quidquam excepto capulo , & præterea omnia clausa reperisse : atque illum interim correpto deductoque ad terram Stephano, colluctatum diu , modò ferrum extorquere , modò quamquam laniatis digitis , oculos effodere conatum. Occisus est XIV. Kalend. Octobris, anno ætatis XLV. Imperii XV. Cadaver ejus populari sandapilâ per vespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo Latinâ viâ funeravit : sed reliquias templo Flaviæ gentis clam intulit, cineribusque \* Juliae Titi filiae quam & ipsam educaverat, commiscuit.


18. Staturâ fuit procerâ, vultu modesto, ruborisque pleno, grandibus oculis, verùm acie hebetiore: præterea pulcher ac decens, maximè in juvena , & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat : postea calvitie quoque deformis, & obesitate ventris, & crurum gracilitate : quæ tamen ei valetudine longâ remacruerant. Commendari se verecundiâ oris adeò

*Julia Titi filia.* Hujus vitam & infelicem exitum narrat Autor noster, c. 22. Superest illa in nummis ex auro & argento, æræque mediocri, græcè &

latinè. Unus ex ære magno, sed absque facie, consecrationem ejus indicat, à patruo simul & amasio Domitiano decretam, ut in averfa parte legitur.



Æ



sentiebat, ut apud Senatum sic quondam jactaverit, *Usque adhuc certè animum meum probastis, & vultum* Calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco, vel jurgio objectaretur: quamvis libello, quem *de cura capillorum* ad amicum edidit, hoc etiam illum simul, seque consolans inseruerit:

\* Οὐχ ὀφείας οἷον καὶ γὰρ καλὸς τε μέγας τε ;

*eadem me tamen manent capillorum fata, & forti animo* fero comam in adolescentia senescentem. Scias nec gratius quidquam decore, nec brevius.

19. Laboris impatiens, per Urbem pedibus non temerè ambulavit: in expeditione & agmine, equo rariùs, lecticâ assiduè vectus est. Armorum nullo, sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Centenas varii generis feras sæpè in Albano secessu conficientem spectavère pleriq;: atq; etiam ex industria ita quorundam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua effingeret. Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisque pro scopulo dispanfam dextræ manus palmam, sagittas tantâ arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocuè evaderent.

20. Liberalia studia in initio Imperii neglexit, quanquam bibliothecas incendio absumtas impensissimè reparare curasset, exemplaribus undique petitis: missisque Alexandriam, qui describerent, emendaréntq;. Numquam tamen aut historix carminibusve cognoscendis operam ullam, aut stylo vel necessariò dedit. Præter commentarios

*Non vides quàm ego & pulcher & magnus.*

& acta Tiberii Cæsaris nihil lectitabat : epistolas orationesq; & edicta alieno formabat ingenio, sermonis tamen nec inelegantis. Dictorum interdum etiam notabilium, *Vellem*, inquit, *tam formosus esse, quàm Metius sibi videtur.* Et cujusdam caput varietate capilli subrutilum & incanum, *perfusam nivem mulso* dixit.

21. *Conditionem Principum miserrimam* ajebat : *quibus de conjuratione comperta non crederetur, nisi occisis.* Quoties otium esset, aleâ se oblectabat, etiam profestis diebus, matutinisque horis : ac lavabat de die, prandebatque ad satietatem : ut non temerè super cœnam præter Matianum malum, & modicam in ampulla potiunculam sumeret. Convivabatur frequenter ac largè, sed pænè raptim : certè non ultra Solis occasum, nec ut postea commissaretur. Nam ad horam somni nihil aliud, quàm secretò solus deambulabat.

22. Libidinis nimix, assiduitatem concubitus velut exercitationis genus, *clinopalem* vocabat. Eratque fama, quasi concubinas ipse divelleret, natarètque inter vulgatissimas meretrices. Fratris filiam adhuc virginem oblatam in matrimonium sibi, cum devictus Domitiæ nuptiis pertinacissimè recusasset, non multò post alii collocatam, ultrò corripit : & quidem vivo etiam tum Tito, mox patre ac viro orbatam, ardentissimè palàmq; dilexit : ut etiam causa mortis extiterit, coactæ conceptum à se abigere.

23. Occisum eum, populus indifferenter, miles gravissimè tulit, statimque eum *Divum* appellare conatus

est: paratus & ulcisci, nisi duces defuissent, quod quidem paullo post fecit, exoptulatis ad pœnam pertinacissimè cædis auctoribus. Contrà, Senatus adeò lætatus est, ut repletâ certatim Curiâ non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: scalas etiam inferri, \* clipeosque & imagines ejus coràm detrahi, & ibidem solo affligi juberet: novissimè eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret. Antè paucos quàm occideretur menses, cornix in Capitolio

*Clypeosque & imagines.* Quod primùm in honorem Deorum excogitatum est, prisci Romani ad homines transtulerunt. *Suorum clypeos in sacro vel publico privatim dicare primus instituit ut reperio, Ap. Claudius qui an. V. C. CCLIX. posuit in Bellona ade majores suos, placuitque in excelso spectari, & titulos honorum legi, inquit Plinius, lib. 35. cap. 2. Et postea, cap. 3. Scutis qualibus apud Trojam pugnatum est continebantur imagines unde & nomen habuere clypeorum, &c.* Cujus quidem generis marmorea monumenta à me visa sunt. Sed ne à Numismatibus recedam, Basilica Æmilia multis ejusmodi clypeis suppensis exornata in perraro M. Lepidi nummo conspicitur, quem videre est in Famil. Rom. pag. 7. *Imaginum quidem amore flagrasse Atticum & Varronem narrat Plinius, lib. 35. cap. 2. qui septingentorum Illustrium imaginibus non passi sunt interciderere figuras, aut vetustatem avi contra homines valere, &c.* Quibus perspicuum est honoris causâ clypeos imaginesque dedicatas, in Curia suspensas & summo in honore habitas, publicè

privatimque: sicque maximo dedecori fuisse, si quando decernente senatu jubentéque populo fuerint detractæ; Id quod Philippo regi contigit Athenis, apud Justinum, lib. 31. cap. 44. Commodò apud Lampridium, Maximino apud Capitolinum & Herodianum, lib. 8. aliisque qui sævitiâ & morum pervertitate generis humani odium promoveruere. Sic enim Lampridius extincto Commodò senatum acclamasse scribit, *Hosti patriæ honores detrahantur; Paricidæ gladiatoris memoria aboleatur: Paricidæ gladiatoris statua detrahantur. Carnifex unco trahatur: Carnifex Senatus more majorum unco trahatur: Saviour Domitiano, impurior Nerone, sic fecit, sic patiat, &c.* Et paulo post: *Abolendas statuas que undique sunt abolende, noménque ex omnibus privatis publicisque monumentis eradendum.* Cæterum imagines nobilitatis notam fuisse nos docet Cicero cùm Ædilis curulis factus jus imaginis ponendæ se consequutum gloriatur.

elocuta est, \* ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit qui ostentum  
sic interpretaretur,

*Nuper Tarpejo qua sedit culmine cornix,  
Est benè, non potuit dicere: dixit, erit.*

Ipsam etiam Domitianum ferunt somniasse, gibbam  
sibi pone cervicem auream enatam: pro certoque  
habuisse, beatiorem post se, latiorémque portendi  
Reipublicæ statum. Sicut sanè brevi evenit abstinentiâ  
& moderatione insequentium Principum.

*Erunt omnia benè.* Omen accipio, neque  
alio quopiam feliciori potuissem hisce  
notis finem imponere. Quare hîc ter-  
minus esto! neq; enim plus datur ultra.  
Si tibi, Lector benevole, nostra qualis-  
cunque opera ex rei antiquariæ studio  
nata, Suetonium historiæ dignitate  
stylique, genuinam antiquitatem redo-  
lentis elegantiam commendatissimum,  
commendatiorem reddere valuit, ut  
quod legis nummis expressum conspi-  
cias, sicque Autori ipsi ex Numismatum  
*ἀποβῆναι* fides accesserit indubitata: Est  
sanè quod triplicem laboris acti fru-  
ctum nobis abundè gratulemur, de  
Suetonio, de Lector, & de Relitteraria,  
si non benè saltem minùs malè esse

meritos, qui si ne exstaret ullus, nobis  
tamen volupe fuisset historiæ fidem ex  
Numismatibus, horumq; divinationem  
ex historiâ vicissim arcessere. Reperient  
interim hîc Privati quod admirentur,  
Romanæ Majestatis initia, progressum,  
incrementa, decrementa. Reperient  
Principes quod in bonis imitentur, in  
malis execrentur: Reperient cujuscunq;  
fortis & conditionis, quò curiosam  
otiosamve mentem oblectent, & eru-  
diant. Ubi interim tuam, Lector candi-  
de, faventem deprehendemus lubentiam,  
eidem lubentiora & luculentiora  
nostra, quæ cum Deo & tempore vul-  
ganda meditatur, promittimus &  
submittemus.

F I N I S

XII. CÆSARUM.